Quelle: https://manuscripta.at/?ID=908
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

fore uidentur. graue tamen est in simillima cottidianus obtutibus saxea scopula et tedas aspicere. Indurata fronte tamen exterius sim huius loci tugurio. Sed ne nimis longe sermonem protraham. hic manendi deo semper in omnibus opitulante hec materies maxima exstat. Cum itaque ego auito uenerabili domino altino episcopo ad cuius dyocesim locus ipse pertinet rogarem uti sepulchrum beati uiri effodiendi et in eodem pauimento aliquanto melius humandi licentiam daret? concessit ut rogaui. Factoque ieiunio cum his qui tunc mecum adesse potuerunt cepimus fodere. Quod dum pactum est leuauimus sarcophagi operculum. ex multis iam annis sub terra positum. et tamen integrum. Et dum libentissime quid intus incorrupti haberet exemplare miramur: tantus et tam ineffabilis mirifici odoris fumus subito inde egressus est ut tota basilica suauissime ex eo redoleret impleta. At nos nimis attoniti in parte qua steteramus domus regie ut fragiles procubuimus. Refocillati uero ex odore fraglanti diuinam clementiam orantes resumpsimus spiritum. Et tunc demum propius accedentes prospeximus. non solum sancti uiri ossa integra. sed ipsum beate glebe puluerem. ita sibimet coherentem. nimieque integritatis speciem tenentem ut qui non olim mortuus. sed semper uiuus putaretur. Hoc igitur amande frater dubio absque scias. nobis cernentibus et pauorem nimium ac inmensum tripudium inculcasse. Sed quia omnia possibilia sunt possidenti laudauimus hymnis quibus potuimus creatorem nostrum qui dum nichil eramus plasmauit nos. et